

## Les sources manuscrites de la théorie de la musique (S. IX-XVI)

---

FIRENZE, Biblioteca Nazionale (*I-Fn*)

Conv. Soppr. F III 565, f. 96r-v

Transcription : Christian Meyer

(octobre 2002 – rév. nov. 2017)

Notker Balbulus, *Epistola ad Liuthardum episcopum*

96r

<sup>1</sup> Incipit prologus sequentiarii.

<sup>2</sup> Summae sanctitatis merito, summi sacerdotii decore sublimato, domno dilectissimo Liuthardo, incomparabilis viri Eusebii Vercellensis episcopi dignissimo successori, abbatique cenobii sanctissimi Columbani ac defensori cellule discipuli eius mitissimi Galli, necnon et archi<ca>pellano gloriosissimi imperatoris Caroli, Notkerus cucullariorum sancti Galli novissimus.

<sup>3</sup> Cum adhuc iuvenculus essem et melodie longissime saepius memorie commendarem, instabile corculum aufugerent, coepi tacite mecum volvere quonam modo eas poterim colligare. <sup>4</sup> Interm̄ vero contingit ut presbyter quodam de Githmedia nuper a Nordemannis vastata veniret ad nos, antiphonarium suum defrens secum, in quo aliquot versus ad sequentias erant modulati, sed tamen nimium vitiati. <sup>5</sup> Quorum visu delectatus, ita sum gus-  
tus amaricatus, ad imitationem tamen eorumdem coepi scribere :

<sup>6</sup> Laudes Deo concinat

<sup>7</sup> Orbis undique totus,

<sup>8</sup> Qui gratias est et liberator.

---

<sup>3</sup> corculum] i. cor modicul *suprascr.* | aufugerent] i. citius labi *suprascr.*

---

<sup>4</sup> aliquot] aliquod *cod.*

Et infra :

<sup>9</sup>Coluber Ade deceptor.

<sup>10</sup>Quos cum magistro meo Hysoni optulisse, ille studio meo gratulatus, imperitique aequae compassus, que placuerant laudavit, que autem minus emendare curavit, dicens : singule motus cantilenae singulas syllabas debent habere. <sup>11</sup>Quod autem audiens, ea quidem quae in *al* veniebant aliquantulum correxi ; quae vero in *le* vel in *lu*, quasi impossibilia vel attemptare neglexi, cum et illud postea usu facillissimo deprehenderim, ut teste sunt :

<sup>12</sup>Dominus in Syna,

<sup>13</sup>In sancto et mater.

<sup>14</sup>Hocque modo instructus, secunda mox vice | dictavi :

<sup>15</sup>Psallat ecclesia mater illibata.

<sup>16</sup>Quos versiculos cum magistro meo Marcello presentarem, ille gaudio repletus, in rotulis eos congregavit et pueris cantando aliisque insinuavit. <sup>17</sup>Cumque iuberet ut in libello compactos alicui primorum illos pro munere offerrem, ego pudore retractus, numquam ad hoc cogi poteram. <sup>18</sup>Nuperque a fratre meo Othario rogatus ut aliquid in laude vestra conscribere curarem, et ego me ad hoc opus imparem non immerito iudicarem, vix tandem aliquando egreque ad hoc animatus sum, ut hunc minimum vilissimumque codicellum vestrae celsitudini consecrare presumebam. <sup>19</sup>Quem si in eo placitum vestre pietati comperero, ipsi fratri meo apud dominum imperatorem satis amminiculo metrum quo

---

<sup>11</sup> facillissimo] i. leviori *suprascr.*)

<sup>16</sup> insinuavit] i. demonstravit *suprascr.*

<sup>17</sup> compactos] i. compositos *suprascr.*

---

<sup>11</sup> al] la *cod.*

**18** curarem] curare *cod.*

de vita sancti Galli elaborare pertinaciter insisto, quam vis illud  
fratri meo Salomoni prius pollicitus fuerim, vobis examinandum,  
habendum ipsique per vos explanandum dirigere festinabo.

Valete.

---

19 pollicitus] i. promisissem *suprascr.* | dirigere] i. mandare *suprascr.*